

esse enim debet fons atque ultima ratio, seu prima & immutabilis rerum omnium contingentium ac mutabilium causa, in qua series mutationum non nisi eminenter existat. Mundum hunc universum a Deo creatum fuisse ostendunt eadem argumenta, quibus existentiam Dei demonstravimus.

Patet soli Dei competere potentiam creandi; nam ad creandum requiritur potentia seu vis infinita, quæ sola potest superare distantiam infinitam, quæ est inter substantiam & non substantiam; soli autem Deo competit vis infinita. Præterea nulla voluntas creata intelligitur hanc virtutem habere, ut necessaria sit & essentialis connexio inter aliquam ejus volitionem & existentiam entis ipso extrinseci, quod antea neque est ratione sui, neque ratione subjecti. Unde SS. PP. contra Arianos probant Verbum non esse creaturam, ex eo quod cuncta per ipsum fuerint creata.

Constat etiam Mundum fuisse a Deo libere creatum; illius enim summa perfeccio a Mundo creato non pendet, alioquin non esset summa perfeccio; ergo illum non necessitate naturæ, sed libere omnino condidit, seu creavit quia voluit. Iisdem rationibus probatur Deum non fuisse necessario determinatum ad hunc potius quam alium Mundum creandum; quamvis enim summa sapientia semper facere teneatur quod sibi melius est, si quid melius esse posset sapientię infinite, non tenetur tamen facere quod creaturis melius est; igitur, ut observat Hugo a S. Victore: *Magnum est disserimen inter id quod est respectu Dei melius, & id quod est tantum melius respectu creaturarum; melius est creaturis esse quam non esse, esse perfectiores quam minus perfectas; sed relate ad Deum hec duo sunt unum.* & idem, ipsi melius non est si creatura existant quam si non existant; nec ipsi melius est si plures vel pauciores perfectiones habeant, quia perfeccio divina nullo modo a creaturis pendet. Sed de his jam fuse disputavimus in capite præcedenti.

IV. Dogma de Mundi creatione nihil omnino coniunctum est cum quæstione scholastica de æternitatis notione. Disputant scholasitici *utrum æternitas sit successiva*, seu ex partibus perpetuo fluentibus & sibi invicem succendentibus composita; an vero sit du-